

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5487

Auteur(s) : Coutances (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1274, 27 novembre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Le chapitre de Coutances et Jean de Ostrenturia, archidiacre du Cotentin, trouvent un accord au sujet de la juridiction ordinaire du diocèse pendant la vacance du siège épiscopal. En effet, ils se disputent cette juridiction depuis la mort de l'évêque Jean [d'Essey]. L'official du chapitre connaît les affaires commencées du vivant de l'évêque ; l'archidiacre et ses officiaux peuvent juger des affaires commencées après la mort de l'évêque.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 288, p. 428-429.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, humile capitulum Constantiense et Johannes de Ostrenturia, archidiaconus de Costentino in ecclesia Constanciensi, salutem in Domino. Noveritis quod, cum sede vacante in ecclesia Constanciensi ex morte bone memorie J[ohannis], quondam episcopi Constanciensis, nos capitulum, ex una parte, et nos archidiaconus, ex altera, esset discordia super eo quod nos dictus archidiaconus dicebamus jurisdictionem episcopalem quam per se et officiales suos exercebat idem episcopus tempore quo vivebat quoad causas ordinarias ad nos archidiaconum in archidiaconatu nostro sede vacante et non ad nos capitulum spectare debere, nisi per appellationem a nobis archidiacono et officialibus nostris emissam, item absolutiones excommunicatorum a dicto episcopo et ejus officialibus et cognitionem causarum motarum coram eundem necnon et compulsiones excommunicatorum quorumcumque in archidiaconatu nostro ad nos archidiaconum sede vacante spectare debere ; nobis capitulo predicto extra iudicium contrarium asserentibus et dicentibus omnia premissa ad nos capitulum pertinere debere. Tandem pro bono pacis de consensu nostro ita fuit ordinatum, videlicet quod officialis capituli cognoscet de causis motis et movendis coram dicto episcopo et suis [officialibus] ipso episcopo vivente et de causis capituli et canonicorum et eas executioni demandabit, excommunicatos a dicto episcopo et officialibus suis absolvet, ipsosque excommunicatos [procura]bit iudicari per brachium seculare. Nos vero archidiaconus de causis motis [et movendis] post mortem episcopi poterimus cognoscere per nos et officiales nostros [in nostro ar]chidiaconatu et eas executioni demandare ; et non capitulum seu ejus officialis [de eis cogn]oscet capciones seu justiciationes excommunicatorum a nobis archidiacono et officialibus [nostris ; a dicto] capitulo et ejus officiali fient per officialem capituli supradicti, ita tamen quod officialis capituli nichil exiget a nobis archidiacono seu officialibus nostris quando ex officio nostro proce[det]. Quando vero ad instantiam parcium procedemus, solummodo exiget [officialis] capituli pro litteris et sigillo, sicut de aliis litteris judicialibus fieri consuevit, predictas autem institutiones officialis dicti capituli non poterit denegare. Fuit etiam ordinatum quod quantum ad futuras vacationes nullum prejudicium generetur capitulo seu nobis archidiacono predicto super possessione et proprietate premissorum. Actum eiam fuit quod appellabitur a nobis archidiacono et officialibus nostris ad officialem capituli memorati. Et nos dicte partes promisimus ad invicem nos premissa omnia fideliter servaturos.

In cujus rei testimonium sigilla nostra presentibus duximus apponenda. Datum anno Domini M° CC° LXX° quarto,
die martis post festum beate Katherine virginis.